



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Subsectio septima. De controversiis ratione Sacræ Scripturæ.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

novatoribus corrupta sit, & absque eo operæ pretium est eam non tantum perlegere, sed & aliquid ex fundamento scire de iis controversiis, quæ nobis ratione S. Script. ejus librorum, ejus versionis & sensus sunt cum Hæreticis. Hinc de iis hinc incidenter agendum.

## Subsectio septima.

### *De controversiis ratione Sacra Scriptura.*

Quatuor hinc examinanda. *1mo.* An vera Dei Ecclesia sine S. Scriptura subsistere possit. *2do.* Unde eam extare constet, & hos illosve libros esse Canonicos. *3tio.* Unde constet hanc illam versionem esse legitimam. *4to.* An Scriptura sit clara, & textuum Scripturæ sensus sit clarus & quis.

*1mo.* Ecclesia vera Dei fuit ante S. Scripturam sive scriptum Dei verbum. Vigente enim lege naturæ absque illa circiter duobus millibus quadringentis octoginta tribus annis usque ad Moysen Ecclesia floruit, & viros sanctos, ut Abel, Henoeh, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, &c. nullis extantibus libris aut verbo Dei scripto, sed purâ putâ traditione instar hæreditatis veluti per manus à Parentibus datâ filiis, generavit & generatos enutrivit. Postquam autem Moyses ea, quæ primis mundi sæculis contigerant, & legem, quam à Deo acceperat, in codices redegisset, & plures alii Prophetæ sibi divinitus factas revelationes litteris mandâssent,

& ex post magna illorum sacrorum librorum pars sive per bella & captivitatem Babylonicam, sive ob alia incidentia amissa fuisset. Ecclesia tamen vera Dei in lege scripta beneficio traditionum semper in flore suo ac vigore permanit usque ad Esdræ tempora, qui quidquid reperire potuit, & memoriæ thesaurus illi suppeditavit, recollegit, in ordinem digessit, & posteritati instinctu Spiritûs S. reliquit. Interim certum est non omnes sacræ Scripturæ libros extare. Ubi enim tria millia parabolarum & quinque millia carminum Salomonis? quorum fit mentio 3. Reg. 4. ubi liber Prophetæ Nathan, & volumen Gad videntis? quæ extitisse patet ex c. ult. l. 1. Parallip. ubi sunt libri Ahia, & addo Prophetarum expressè nominati l. 2. Parall. c. 9. sed hæc per parenthesis, in lege ergo naturæ & scriptâ Ecclesia vera conservata est per traditionem. Taliter & incepit & conservata est vera Ecclesia in lege gratiæ. Imprimis enim ante Ascensionem Domini non fuit Script. nova; dum in Christum Apostoli & quingenti cititer Discipuli crediderunt. Deinde post Ascensionem in majori hominum multitudine & variationum varietate sine ullius Script. adminiculo stetit Ecclesia, & virtute ac vi traditionis & prædicationis in sua integritate permanit. Hinc Irenæus lib. 3. c. 4. dicit: *Si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias. Cui ordinationi assentiunt multi gentes Barbarorum eorum, qui in Christi*

Christum credunt, sine caractere & attramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes, Christum IESUM Dei Filium &c. quibus si aliquis annuntiaverit ea, quae ab Haereticis adinventae sunt proprio eorum sermone colloquens, statim concludentes aures longè longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolicam traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcunque eorum portentiloquium est. Vera ergo manet Catholicorum sententia, quòd verbum divinum tribus consideretur modis, vel ut plantatum per fidem in corde Ecclesiae per internam Spiritus S. motionem (quia nemo potest per veram ad Christum pervenire fidem; nisi Pater caelestis traxerit illum) vel ut praedicatum ore eiusdem Ecclesiae & per traditionem acceptum, vel demum ut in libris Canonicis scriptum. Ecclesia vera absque hoc ultimo modo subsistere potest, & semper substitit in lege naturae: aliquam diu in lege scriptae & gratiae, ut jam vidimus. Absque prioribus duobus modis subsistere non potest. Unde manifestè sequitur, quòd sola NB. Scriptura non sit unica & adaequata credendi regula.

2dò. Cùm de existentia Scripturae inter eam negantes & admittentes lis sit, idem per idem, sive Scriptura per Scripturam probari non potest, nec per spiritum tuum privatum convinces negantem Scripturam; quia ille suum tibi opponit.

ponit. Catholici & Sectarii conveniunt in hoc, quod detur verbum Dei scriptum, sed non ex eodem motivo. Catholici dicunt rejectis traditionibus & autoritate Ecclesie id probari non posse, & hanc autoritatem & traditionem nolunt admittere Hæretici. Et hinc existentiam Scripturæ probare non possunt. Maxime cum per Dei certè potentiam liber aliquis præcisè humanus unius aut plurium autorum etiam similem coherentiam, prophetias impletas, ut sunt vaticinia Sybillarum continere possit. Et cum Scriptura tam benè corrumpi possit, quam traditio ab Apostolis accepta, patet quoque verum esse effugium adversariorum, quòd traditio Apostolorum & primæ Christianitatis corrumpi potuerit successu temporis. Pari modo Hæretici probare non possunt hos illos libros continere verbum Dei scriptum, sive Canonicos & non apocryphos esse. Qui in sensu Catholicorum sic nominantur, vel quòd legitimi autoritate sive Ecclesie iudicio pro Canonicis declarati & acceptati non sint, vel quòd ab Hæreticis corrupti errores admixtos contineant. Lutherus, Calvinus ex Canonicorum librorum V. testamenti numero expunxerunt libros Tobie, Judith sapientie Ecclesiastici Machabeorum Baruch & additamenta ad Esther & Davidem. Lutherus etiam expunxit Epist. Pauli ad Hebræos, Epist. S. Jacobi, S. Judæ & Apocalypsin S. Joannis. Unde jam infallibiliter ostendent hos non esse, & alios esse libros Canonicos; imò unde ostendent? quòd verus est

mentum plerumque ante Esdræ tempora non amplius extans, ab ipso denuo in ordinem digestum, & posteritati, ut supra vidimus, relictum omninò genuinum & Spiritûs S. instinctu conscriptum sit? stat illis pro ratione voluntas, non ità Catholicis, qui sustinent in V. testamento contineri adhuc verum Dei verbum in extantibus libris quadraginta quinque. Et hos esse lib. Gen. Exod. Levit. Numer. Deuteron. Jos. Judicam. Ruth. quatuor libros Regum, duos Paralip. duos Esdræ. libr. Tob. Judith, Esther, Job, psalterium Prov. Eccl. Cant. Sap. & Eccli, quatuor Prophetas majores, & librum Barnab. duodecim minores, duos libros Machab. in novo testamento, 4tuor Evangelia, Act. Apost. quatuordecim Epistolas S. Pauli, tres S. Joannis, duas S. Petri, unam S. Jacobi, unam S. Judæ, denum Apocaiypsin. Quia hunc catalogum librorum Canonicoꝝ recensitum in Conc. Trident. Sess. 4<sup>ta</sup> Patres ejusdem Concilii acceperunt à Conc. Florentino, Florentinum à Romano sub Gelasio, Gelasius mediante Augustino à Conc. Chartaginensi. Hoc ab Innocentio I. qui vixit sub annum 402. & hunc SS. librorum numerum, quem à temporibus Apostolorum per continuam traditionem acceperat, clarè & explicitè declaravit ideo; quia quidam de quibusdam ex modo recitatis dubitabant, & traditio Apostolica ob ingentes Ecclesiæ persecutiones in omnibus locis non fuerat satis cognita. Factâ autem hâc Innocentii declaratione PP. omnes acquievêre jam à tot sæculis,

& meritò. Nam si in ullo fidei articulo certè vel maximè in hoc, quodnam sit genuinum Dei verbum scriptum, pro regula acceptandum est illud Pauli 2. Thessal. 11. v. 14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Et quodnam obsecro medium homini rationabiliter procedere volenti pro dignoscendo, quinam libri Canonici sint, aliud incidere potest quàm Ecclesiæ autoritas, & de sæculo in sæculum traditio? cum si quoscunque demum, qui veteris vel novi testamenti esse perhibentur, libros aperias, ipsi tibi non inclament. *Ego continuo verum verbum Dei non iste.* Hinc in libr. Proem. de libris V. & N. Test. non recipientibus libros Machab. nil respondet aliud Augustinus, quàm illud *Ecclesia eosdem inter Canonicas Scripturas enumerat.* Et sicut alibi ex eodem dixi, imple in hoc illo libro Dei verbum contineri non crederet, nisi ad id eum Ecclesiæ commoveret, autoritas, quæ jam toties in Conc. Oecum. congregata sub Christi in terris Vicario numerum adhuc extantium librorum Canonicorum jam allatum definivit. Potestne hoc Catholicorum fundamentum iudicio prudentis & imparcialis nec nisi veritatem quærentis hominis elidi per criticum Hæreticorum & hominum privatorum ab Ecclesiæ se gremio separantium, & contra se invicem collisorum? eò quòd quilibet eorum se jactet habere Spiritum Dei, quibus omnibus convenit, quòd lib. de dono perseverantiæ c. 11. scripsit Augustinus: *Scriptu-*

ras sic accipiunt, ut suo quodam privilegio imò sacrilegio quod volunt, sumant, quod nolunt, rejiciant. Exemplum habes in Luthero Epist. S. Jacobi vocante stramineam.

3tio. Sicut regulam authenticam dare non possunt adversarii, cū ille & non iste liber verum Dei verbum contineat, sic nec ostendere possunt, quænam versiones V. & N. testamenti sint legitimæ. Legitimitate autem non constante non constat quoque in hac illa versione verum contineri Dei verbum. Provocant ad textum Originarium, an ergo habent Originale à Moysè Esdra Prophetis & Evangelistis conscriptum in membranâ vel corticibus arborum scriptum, vel ære sculptum, vel lapide incisum? proferant in lucem, & ponant super candelabrum, ut luceat omnibus in domo & Ecclesia Dei. Sed sic to *Originale* vel *textum Originarium* non accipiunt, quando pressi argumentis in lingua latina vel vulgari putant eos acriter prementem græca vel hebraica non intelligere. Tunc enim effugium aliud non inveniunt, quam ut dicant, textum originarium aliud quid habere. Pilce mutiores factos non semel vidi, quando ad textum græcum vel hebraicum provocatus re ipsa ostendebat se præ ipsis has linguas callere. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, frustra etiam prædicatorum jactant se hebraicum v. g. vocabula Hierusalem Job, Samson juxta dialectum emendatè exprimere. Non agimus hic grammaticos nec linguistas, veniamus ad cardinem & funda-



mentum rei hinc decidendæ. Biblia originaliter confcripta sunt tribus linguis ideo *sacris* dictis, Hebraicâ primitùs conscripti sunt plerique libri V. testamenti. *Gracâ* libri N. testamenti excepto Evangelio S. Matthæi ; & Ep. Pauli ad Hebr. [ quæ probabiliùs originaliter scripta sunt linguâ Syriacâ , quæ tempore Christi & Apostolorum in usu erat , nec pura hebraica, sed vocibus Chaldaicis permixta ] item excepto Evang. S. Marci , quod probabiliter Romæ fuit primitùs editum linguâ latinâ. Hæ editiones primæ ab ipsis sacris Scriptoribus profectæ seu *Autographa* non ampliùs habentur , sed tantùm *transumpta* & *versiones* ex una lingua in aliam. Ergo non ad textum originarium , quasi ipsa *autographa* adhuc alicubi proflare certum sit, sed ad *transumpta* & *versiones* legitimas recurrendum est.

Ergo ut ad fundamentum , & in quo cardo rei vertitur , redeam , quæritur , unde adversarii probent has illas *versiones* esse legitimas , & ex genuinis *transumptis* ? *versiones* librorum S. Scripturæ fuerunt , & etiamnum sunt plurimæ. Ex græcis *versionibus* , per quas antiquum testamentum ex hebraico in græcum idioma translatum est , celebres sunt Origenis , S. Luciani Martyris , Theodotionis , Aquilæ. Celeberrima autem illa , quæ dicitur 70. *interpretum* , quæ non sine miraculo & speciali Dei assistentiâ annis circiter 280. ante Christum natum perfecta est. Istæ tamen *versiones* veteris testamenti etiam 70. *interpretum* ( quæ olim

erat authentica ) progressu temporis vel malitia Judæorum & Hæreticorum , vel errore describentium ( nam propter defectum typi, qui primùm circa annum Christi 1440. inventus est in Europa à Germanis , omnia describi calamo debebant ) ità corruptæ sunt ; ut tutum non sit latina Biblia nunc ad græcum textum emendare ; ut docet Bellarm. & alii. Ex versionibus latinis eminet præ omnibus illa , quæ communiter *vulgata* dicitur , quam S. Augustinus *Italiam*, S. Gregorius *veterem* dixit. Tribuitur hæc S. Hieronymo , quòd verum est quoad vetus testamentum exceptis quibusdam libris nempe Sap. Eccli. Baruch &c. item Psalmis. Novum verò testamentum non est S. Hieronymi, sed ignoti cujusdam antiquioris auctoris emendatum tamen à D. Hieronymo. Aliæ versiones in linguas vulgares [ taliter vocantur linguæ omnes exceptâ hebraicâ, græcâ & latinâ ] factæ sunt plurimæ. Sed si non sint munitæ auctoritate & approbatione Ecclesiæ , fidem non merentur. Judæi odio erga Christum omiserunt, & vitiarunt ea , quæ de Christo gloriosa sunt prædicta in libris V. test. Imò cum ante tempora Hieron. fuerint hebraica Biblia sine punctis. Per hæc ipsa puncta ea per Judæos corrupta esse merito timetur. Hæretici odio erga Rom. Ecclesiam à qua perditelles defecerunt , omiserunt vel vitiatunt ea , quibus nimis manifestè approbantur dogmata & præcepta Catholicæ Ecclesiæ suis sectis opposita. Jure igitur ab Adversariis, qui nil nisi Scripturam identidem crepant

& jactant, postulatur, ut prius infallibili argumento & ex Scriptura doceant, se habere Biblia legitimè versa, & ab omni errore pura. Tiguinam versionem à Leone Juda ex Judæo facto Zwingliano inchoatam, & postea à Bibliandro adjuvantibus Pelicano & Cholino perfectam Anno 1544. rejecit Lutherus dicens: Autores hujus versionis jam damnatos esse, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducere. Lutherus de se fallus est, græcam & hebraicam linguam se non perfectè calluisse, & tamen ex iis se suam versionem germanicam fecisse gloriatur. Quòd autem corruerit Scripturam, ex multis patet v. g. vertens illa verba Apostoli 1. Cor. 9. v. 5. *Nunquid non habemus potestatem, mulierem, sororem circumducendi?* adjecit de suo *in uxorem*. Hoc Monachus Apostata in honorem scilicet Monialis Apostata, quam seduxit, fecit. Idem vertens textum ad Rom. 3. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem*. Apposuit de suo *solam*. Vertens verba *agite pœnitentiam*, in germanico sic exprimit: *Bessert euch*. Vertens c. 1. Ep. 2. Petri in v. 10. hæc verba: *Magis satagite, ut certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Omittit *per bona opera*. Vertens verba Pauli Rom. 3. *per legem cognitio peccati addit nur tantum*. Quasi divina lex tantùm serviret ad hoc, ut in ea tanquam in speculo cognoscamus peccatum, non verò quòd ea servanda sit. Beza & alii omittunt illum totum versiculum Act. 15. v. 41. *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum*

& Seniorum. Et in versione purè novi testamenti à Luthero factâ ferè millè errores notantur. Vide Bellarm. l. 2. de verbo Dei c. 11. fatentur sagaciores Lutherani versioni istî errores inesse, eò quòd Lutherus Biblia sua germanica fecerit juxta exemplar Hebræum corruptum. Recurrendum ergo esse ad fontes hebraicos & græcos, miseram effugium. Nam 1<sup>mo</sup> ergo spiritus privatus Lutheri non venit à Spiritu S. 2<sup>do</sup>. Qui recurrunt ad hos fontes, nunquid & ipsi sunt homines fallibiles in spiritu suo privato se fundantes? 3<sup>tiò</sup>. Jam dictum fontes quoque hebraicos & græcos non esse puros. Et ipsi Lutherani, ut jam vidimus, errores Lutheri in versione germanica per hoc conantur excusare, quòd inciderit in exemplar hebraicum corruptum. Quid multa? ipsa Autographa non extant, ut vidimus. Transumpta variè versa sunt à Judæis vel Hæreticis vel Catholicis. Unde jam desumetur infallibilitas hanc vel illam versionem esse puram? vertant se quòd velint Sectarii, nullum invenient argumentum simile huic. Quo Catholici probant *vulgatam* editionem esse authenticam, quam Trid. Sess. 4. præscribit tenendam esse, hoc est nullum continere errorem contra fidem, bonos mores & originales textus S. Script. Porrò argumentum hoc jam sapiùs allatum est, quòd scilicet Deus necessariò debeat reddere auctoritatem & sensum Ecclesiæ infallibilem in declarandis fidei articulis, & vel maximè in proponendâ Scripturâ, supposito, quòd velit in mundo conser-

vare fidem veram & divinam, & ideo se credere  
 Scripturæ dicit Augustinus: dixi, quòd vulgata  
 non contineat errorem contra originale textum  
 scilicet quoad sensum, non autem quoad  
 litteras & characteres. Et hinc etiam Clementina  
 editio non differt à Sixtinâ formaliter &  
 quoad sensum principaliter intentum à Spiritu  
 S. sed solùm materialiter, & quoad verba quæ-  
 dam & expressionem majorem quoad græcos &  
 hebraicos fontes. Nec Ecclesia declarat *vulgatam*  
 ita ab omnibus mendis etiam accidentalibus  
 esse purgatam, ut emendari amplius nequeat,  
 quòd Ecclesiæ quoad puritatem doctrinæ præ-  
 cisè non interest. S. Hieron. sæpè non attendit  
 ad verba, num satis castigatè latine sermone ex-  
 pressa essent, sed attendit ad sensum, ut ejus  
 substantia retineretur, nec translatio vel torta  
 vel obscura esset. Vana est jactantia Sectario-  
 rum, quòd purgatiora (vide desuper plura sub  
 finem hujus libelli in methodo Veroniana) &  
 quoad latinitatem exactiora prælo dederint Bib-  
 lia. Hic agitur de sensu proprio Scripturæ nec  
 corrupto, nec alterato non de elegantiss, qui-  
 bus quomodo Novatores Scripturæ textus cor-  
 ruperint, ostendi supra. Certè nullus eorum  
 tantum laborem concatenato multorum anno-  
 rum studio, in hebraïsmis intelligendis quoad  
 substantiam insumpsit, nec tam perfectè eos in-  
 tellexit ut S. Hieronymus, qui etiam peregrin-  
 ando per terram sanctam eos se à doctissimis  
 narrat didicisse Hebræis.

4to. Sicut Hæretici à principiis Catholicis recedentes probare non possunt. 1mo. An verum Dei verbum scriptum extet. 2do. Qui sint & non sint libri Canonici, 3to. Quænam sint transumpta & versiones legitimæ. Sic nec 4to. in principiis suis ostendere possunt. Quisnam genuinus sit singulorum textuum sensus. Multò minùs, quòd S. Scriptura clara sit. Nolo hìc agere de sensu ejus morali sive mystico, quanquam & hunc nòsse oporteat, quando ex Scriptura ipsa vel Ecclesiæ judicio constat sensum talem à Spiritu S. intentum esse. Hæretici ogganniunt *Theologiam mysticam non esse argumentativam*, & tamen sui immemores perpetuis ac ineptissimè adductis allegoriis ex Dan. Apoc. petitis probare nituntur Romanum Pontificem esse Anti-Christum. Missis his nugis de sensu ergo litterali purè agendo.

Dico primò. Scriptura sacra quoad sensum litteralem non est ubique clara ac perspicua etiam piis fidelibus prædestinatis attentè & sine pravo affectu eam legentibus, quibus claram eam esse volunt Sectarii. Nam Sancti David, Apostoli, Patres utique fuerunt tales homines, & tamen experti sunt difficultatem in intelligendis S. Script. textibus. Hinc David sæpè petit lumen à Deo, ut eos intelligeret dicens Pl. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Apostolis Luc. 24. v. 45. *Christus aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas.* SS. Patres summo cum labore conati sunt assequi

Scripturæ intelligentiam nec potuerunt. Hinc S. Augustinus Ep. 119. c. 21. ingenuè fateatur, se in Scripturis longè plura nescire, quam sciat & l. 2. de doctr. Christ. c. 6. divinitus ratione difficultatis in intelligenda S. Scriptura sic provisum esse non dubitat ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt. SS. Basilius & Gregorius Nazianzenus per tredecim annos in monasterio S. Scripturæ intelligendæ se totos dederunt, sicut & S. Hieronymus totâ vitâ suâ. Et hi ab omnibus curis temporalibus liberi soli orationi ac lectioni intenti nec nisi Dei gloriam, & suam proximorumque salutem quærentes, calibes abstemii corporis afflictationibus se macerantes, ut in castam animam introiret intelligentia, fatentur se non posse ex difficultatibus in S. Scriptura occurrentibus emergere. Et Ministellus aliquis apud Sectarios mulieris amplexibus, variis curis, ac negotiis domesticis distentus, imò & quivis Lutheranus vel Calvinista Sutor sit an Sartor, vel vetula poma aut scopas vendens, omnia plana & clara in S. Scriptura inveniet? qui omnes etiam si fideles & prædestinati essent, de quo meritò dubitatur, sive quoad virtutem sive quoad doctrinam nec umbra sunt respectu tantorum sanctorum virorum ac Patrum. Et quæso cur Sectarii tot scripserunt commentarios in S. Scripturam? si hæc omnibus piis fidelibus eam legentibus per se clara est. Nam imprimis pii ergo & fideles his commentariis ad Scripturæ intelli-

telligentiam non indigent; qui autem tales non sunt, etiam lectis hisce commentariis tamen Scripturam in adversariorum principiis non intelligent, & ad legendos commentarios *verba hominum* quis adstringere poterit in eorundem principiis? imò his insistendo quis me obligabit ad tibi credendum, quòd genuinum mihi S. Scripturæ sensum exponas in tuis commentariis? & cum incertum sit, an hi vel illi S. Scripturam legentes in eam commentantes sint fideles prædestinati, &c. Incertum etiam erit, an eam tu, de quo Scriptura clarè non testatur, quòd sis prædestinatus, rectè intelligas. Et cum Lutherani, Calvinistæ Scripturæ textus varios v. g. *Hoc est Corpus, hic est Sanguis meus*, omninò diversimodè intelligant, & contradictoria sint in pane & vino consecrato esse verum corpus & sanguinem Christi & non esse, sed tantum ejus figuram. Quomodo obsecro ita inter se dissentientes sustinere possunt Scripturam esse claram? ad hæc si juxta vos ò Lutherani clara tantum Scripturæ est prædestinatis. Quomodo Calvinistas ratione ejusdem Scripturæ textus vobis contradicentes infidelitatis ac reprobationis arguere potestis? cum, ut paulò ante innui, reprobatio æterna adversariorum vestrorum juxta illud: *Quis cognovit sensum Domini, &c.* penitus lateat. Jam vos Domini protestantes inter vos priùs hanc litem dirimite, antequam unitis viribus dogma Catholicum oppugnetis. O quàm verè 2. Pet. 16. dicitur in Epistolis Pauli *esse quedam difficilia intellectu*

[idem



[ idem est in multis Scripturæ locis ] *quæ indocti & instabiles* ( ab uno principio saltantes ad aliud ) *depravant sicut & ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem & confusionem* ob antilogias, in quas incidunt, Jam ut adhuc magis omnia hæc in re effugia præcludantur.

*Dico 2do.* Neque in iis omnibus [ sic enim Adversarii paulatim asserta nimis generalia Lutheri mitigant ] quæ sunt necessaria ad salutem, clara est Scriptura piis fidelibus &c. Nam *primò* prorsus incertum est, & in S. Script. nullibi clarè expressum, quænam determinatè scitu & factu sint necessaria ad salutem. Assignent ea Adversarii, & locum Scripturæ clarum, quo tot inter se ratione hujus puncti litigantes repente componi debeant. *2do.* Nunquid credere oportebat in L. v. in Messiam venturum, & in lege gratiæ in Christum JESUM morte suæ genus humanum redimentem? si jam Scriptura vetus clara erat, quoad istud punctum, quomodo scilicet oportuerit Christum pati. Cur Christus Apostolis & Discipulis suis prædestinatis toties sensum S. Script. explicare debuit? cur Eunuchus Æthiops Candacis Reginæ Act. 9 interrogatus, num intelligeret, quæ ex Isaia animo certè fideli & sine ullo prævo affectu de morte Christi prædicta legebat, respondit? *Quomodo possum? si non aliquis ostenderit mihi.* Cur usque modo hæsitant Adversarii in ipso Apostolorum symbolo, & explicando articulo fidei de descensu Christi ad inferos? cum Calvinus neget limbum esse sub terra, & ad inferos Christum

stum non descendisse afferat. Cur hæc clara Christi verba *Hoc est Corpus meum, hic est sanguis meus* in tam diversas discerpuntur interpretationes? demum cæteris prætermiſſis duo adhuc propono, unum ad credenda, alterum ad facienda pertinens. Articulus necessariò juxta Lutheranos communiter & Calvinistas nobis credendus est, dari Deum Trinum & unum, hoc est tres distinctas personas in natura eadem, Filium à Patre genitum, & Spiritum S. ab utroque procedere. Item parvulos rectè ac utiliter & juxta multos necessariò baptizari, licet Eucharistia ipsis non sit necessariò danda. Jam ostendant Adversarii ex claris Scripturæ verbis hoc, quod de Deo Trino & uno singulisque divinis personis credere debemus. Certè SS. PP. utique probi & in Scripturis versati ex iis solis Macedonianos Arianos non posse convinci testati sunt, sed simul ex verbo Dei tradito & autoritate Ecclesiæ. Rursus probent Adversarii contra Anabaptistas claro textu parvulos esse baptizandos, non verò præbendam ipsis Eucharistiam, cùm Scriptura eodem modo videatur loqui: *Nisi quis renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei.* Joan. 3. *Et nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. Imò cùm Scriptura dicat: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* cùm infantes ad actum fidei eliciendum non sint capaces, juxta illam potiùs parvuli non viderentur baptizandi. Prout in hoc principio se fundant Anabaptistæ.

*Nec*

Nec juvat dicere primò, si quoad credenda vel facienda alicubi obscura sit Scriptura, eam in alio textu se clarè explicare. Nam ubi Scriptura se clarè explicat Spiritum S. esse personam distinctam à Patre & Filio, & ab utroque procedere? imò textus per se clarus ut hic: *Ego & Pater unum sumus*, obscuratur per hunc *Pater major est me*. Jam ut unus explicetur per alterum, debet priùs certò infallibiliter ex ipsa Script. clarè constare, quis ex his duobus per alterum explicandus sit. Pariter ratiocinare de his textibus: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus*. Rom. 3. *Et factores legis justificabuntur*. Rom. 2. Quomodo etiam ex sola Script. probatis in hoc textu: *Accipite, & comedite*. Sc. Matth. 26. contineri præceptum & non in hoc Joan. 13. *Et vos NB. debetis alter alterius lavare pedes*.

Nec juvat dicere 2dò: Scriptura juxta Ps. 118: *est lucerna & lumen*. Nam hoc verum est, si ritè declarata & intellecta sit, & ponatur in casu delabro Ecclesiæ eam legitimâ autoritate declarantis. Hinc in eodem Ps. v. 130. David dicit: *Declaratio NB. sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*. Et si aliæ scientiæ non discuntur sine Præceptore facilè, cur scientia scientiarum? cur ipsi Adversarii filios suos ad ejus intelligentiam hauriendam cum magnis expensis mittunt Genevam, &c.

Nec juvat dicere tertio. Non esse rationem, cur Deus potiùs obscurè quàm clarè loquatur, & tali modo videri posse, quòd Deus homines

voluisset decipere. Nam præterquam quòd ratio nobis sufficiens esse debeat adoranda ejus voluntas; an non hæc ratio sufficiens esse potest; ut in Ecclesia fervetur ordo inter Doctores & Discipulos, Præsbyteros & Laicos. Juxta illud Pauli: *Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* in principiis suis deberent id permittere prædicantes Sutori, Sartori, cuilibet mulierculæ. Imò ipsi tot sumptibus ali non deberent cum suis appendicibus, quia Scriptura clara est cuilibet fidei prædestinato. Et quis scit, an non præ ipsis Sartor vel muliercula istud prædicatum habeat? blasphemum autem est cogitare, quòd Deus obscuritate Scripturæ nos voluerit decipere, quam ipsi Adversarii in Prophetiis, Psalmis, Apoc. obscuram sæpè esse fatentur. Deo fuit liberum etiam quoad credenda & facienda magis vel minus clarè loqui, indicat autem nobis viam, Scripturam quoad hæc intelligendi, jubendo nos audire Ecclesiam & ejus Prælatos. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent.* Malach. 2. *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. Nec Paulus per hoc, quod 2. Cor. 4. dicat *opertum esse Evangelium, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*, vult dicere: quòd solùm reprobis Scriptura sit obscura, sed vult dicere, quòd malitiosè audientes Evangelium à Diabolo & peccatis suis occæcati aures & oculos ocludant, nec hoc intelligit de Evangelio scripto determinatè, sed potiùs de prædicato oretenus. Subjungit enim, non

enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum. Scriptura pariter in novo testamento est liber apertus, quia agnus occisus, & aperta ac impleta sunt mysteria ac figuræ V. Testamenti. Apoc. 3. Non autem quòd omnis obscuritas S. Scripturæ adempta sit, & hoc ipsum ex textibus ipsis Apoc. quos citant Adversarii, colligitur. Nam minime clarum est, quid Joannes intelligat per librum signatum & apertum, & quomodo Scriptura clara est facienda præscribens? cum Lutherus Tom. 2. Jen. fol. 440. dicat, sensum horum verborum, *fac hoc, esse crede hoc,* & Tom. 43. Witt. fol. 143. hanc interpretandi regulam ponat. *Ubi Scriptura mandat, ut fiant bona opera, sic intelligas: quòd prohibeat, ne facias opera bona, cum non sit in tua potestate opera bona facere.* Et Calvinus cum plurimis aliis dicat illa verba Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* A Christo non prolata fuisse serio, sed ironicè, ideoque in opposito sensu intelligenda. Taceo alias manifestas ineptias, & ex his infero, quòd ipsi Sectarii Scripturam, ubi clarè loquitur, & usque adeo pro omnibus intelligibiliter obscurare conentur, & cum se bona opera facere aut mandata servare posse negent, adeoque fures adulteri mæchi sint; quis eos inter fideles prædestinatos, quibus solis dicunt aperti Scripturam, computare potest? tractavi hanc rem paulò fufius, quia ex ea principium deducitur invincibile, quo cujusvis Sectarii os potes obstruere. Se-

positâ enim traditione & autoritate Ecclesiæ

nunquam ostendere poterit extare verum scriptum Dei verbum, hos illos & non istos esse libros Canonicos, hanc non istam esse versionem legitimam ex hebraico, syriaco, græco aut latino; multò minùs ostendere poterit, se infallibiliter certum esse, quòd ritè textum, quem pro se citat, intelligat, & sensus, quem ille in textu contineri sustinet, genuinus sit.

Inter publica magisq; celebria vel pomposa urbium ædificia etiam jure numerantur templa, & hæc amplam elevationum mentis in Deum non tantùm subministrant per se materiam, sed & ad celeberrimas de Christo Eucharistico controversias planam sternunt viam.

*Templa.*

**Z**elus domus tua comedit me. Pl. 68. Populus iste dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Nunquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Aggæi 1. Ideo sterilitate puniti Judæi, & Principes nobiles & opulenti Christiani, quia pro gloria Dei amplificanda nil volunt expendere, sed in luxum ac pompam omnia convertunt, etiam sæpè cum familiis suis ad extrema deveniunt juxta tritum illud: *Majores nostrè dabant (ad causas pias) & abundabant, nos retinemus & indigemus.* Leopoldus verè magnus & pius Imperator à Ministris instigatus, ut deficiente pro ingruente bello nervo aurum & argentum ex templis deposceret, reposuit & suam &

& Ministrorum auream argenteamque suppellectilem, & præprimis vasa argentea nocturna rapienda esse. *Simeon venit in Spiritu in templum.* Luc. 2. Sic & tu id intrans negotiis & cogitationibus aliis dic cum S. Bernardo, ut te ex templo exeuntem expectent. *Domum tuam deest Sanctitudo.* Ps. 92. Reverentia debita, compositi mores. O qualis confusio in extremo die pro Catholicis, quod Turcæ in Moschæis gentiles in fanis suis majorem præ ipsis reverentiam exhibeant. Cùm tamen solis templis Catholicis, in quibus verus Deus colitur, & sub Eucharistiæ speciebus latet, quadret illud Gen. 28. *Terribilis est locus iste, domus Dei & porta cali.* Item illud I. 3. Reg. c. 9. *Erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Et I. 2. Paral. c. 7. *Si conversus populus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & egerit penitentiam, ego exaudiam de celo. Propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit. Elegi enim & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum.* Cum qua ergo fiducia five pro publicis, five pro privatis necessitatibus orare debent Catholici in templis suis? in quibus per templum Salomonis figuratis non vitulorum aut taurorum sanguis & aliarum bestiarum cruentæ victimæ, sed D. N. JESUS Christus indies offertur Deo Patri tanquam Agnus immaculatus, semper [ut Andreas Apostolus in Achaia crucifixus è Cruce velut cathedra

peros

perorabat ] *vivus manens & integer*, & in sacra  
hostia sub speciebus panis totus manet usque ad  
consummationem sæculi cum divinitate, huma-  
nitate, & cor semper paratum ostendit ad be-  
nefaciendum. Cum hoc sit stupendum & in-  
comprehensibile divini amoris erga homines ar-  
gumentum. Desuper Christianus quilibet, si  
vel probabilia tantùm pro veritate hac haberet  
argumenta, exultare, & pro majori habenda  
certitudine ulteriora deberet sollicitè inquirere,  
Sed eò juratus humani generis hostis rem per-  
duxit, ut nostri temporis Sectarii toti in eo  
sint; ut veram à majoribus nostris & primis  
Christianis acceptam de hoc mysterio doctri-  
nam aut obscurare, aut penitus annullare cõ-  
nentur. Vel enim cum Calvino, Zvinglio,  
Wickleffo aliisque *Sacramentariis* dicunt pa-  
nem & vinum esse tantùm figuram Christi,  
ipsum verò sub panis & vini speciebus nullate-  
nus contineri. Vel cum Luthero aliisque cum  
Christo simul adesse sustinent substantiam panis  
& vini, nec extra usum & actualem sumptio-  
nem adesse corpus & sanguinem Christi Sacra-  
mentaliter, adeoque nec asservari nec adorari  
debere, sumi verò debere sub utraque specie.  
Vel cum Ubiquistis humanitatem Christi volunt  
esse ubique ob unionem cum verbo, adeoque  
eam peculiariter in Eucharistia non esse colen-  
dam; vel demum negant Eucharistiam simul  
*Sacramentum* esse & *Sacrificium*. Catholica &  
avita doctrina hæc est, quòd Eucharistia sit Sa-  
cramentum corporis & sanguinis D. N. J. C. sub  
Speci-



*Pars secunda de elevatione  
speciebus panis & vini ad spiritualem animarum  
refectionem divinitus institutum, & simul oblatio  
Christi incruenta Deo facta à Sacerdote per immu-  
tationem panis & vini, & mysticam separationem  
sanguinis Christi à corpore in recognitionem su-  
premi dominii, quod Deus habet in vitam & re-  
cem. Errores Sectariorum huic Catholicæ do-  
ctrinæ contrarios operæ pretium est paulò fufius  
refutare. Cùm non semper quilibet tam prom-  
ptè ad manum habeat & respondenda & obmo-  
venda Adversariis. Primarius autem finis meus  
est, ut bonus Catholicus confortetur in pro-  
posito sæpiùs devotè Eucharisticum panem su-  
mendi, & per diem eum sæpiùs cum eadem de-  
votione, si occasionem habeat, invisendi &  
adorandi.*

### Subsectio octava.

*Circa controversa de Sacramento & Sacrificio  
Eucharistico.*

*1. mò.*

*Sacramentarii refutantur & convincuntur.*

**H**I se fundant primò in textu uno vel altero,  
voluntque in sensu improprio hæc verba:  
*Hoc est corpus meum, hic est Sanguis meus, &c.*  
accipi debere. 2. dò. In absurditatibus, quas  
ex præsentia Christi sub speciebus panis & vini  
sequi dicunt. His refutatis argumenta ex Script.  
imò